

OPVS PETRI DE SILENTIO.

At tendite doctrinæ filii eloquia mea, Auribus percipite verba oris mei. Sapiens dicit: Initium sapientiæ timor Domini, Beatus homo qui sperat in eum. Omnis enim sapientia ab ipso est: Qui ergo curvabit dorsum in legendo Philosophorum libros, erigat cor, altissimum deprecando, ut sibi concedatur spiritus intelligentiæ. Hæc occulta Philosophia est scientia gloriosa, post scientiam fidei omnes alias scientias suæ dulcedinis amoenitate ac utilitate præcellit. Quæ plurimum est à Philosophis celata, & solius Dei potentia reservata, ad quam oportet cum timore Dei timore, perscrutantem, pia mente, devoto animo, studio prolixo pervenire. Attamen, qui libris in patientia auditur, in dispositionem hanc ingrediatur, Qui verò citius cupit pertingere, libros Philosophorum non aspiciat, quia hæc scientia est ei inimica, non enim est citò credendum manifestis Philosophorum libris, Quia qui tum putat se totum scire, & totum mundum habere, nil in manibus suis invenit, & destruit eum festinata credulitas. Quia festinatio, ut ait Hieronimus, est ex parte diaboli, congruè cui dicitur: Heu qui habere hanc Dei oblationem, semel perlecto libro aut primo volumine desiderat. Dico igitur, quod ad opus hoc requiruntur ista, Natura perfecta, res purissimæ, pondera vera cum debita conjunctione, vas, ignis, atque modus agendi. Et patientia per omnia necessaria est, verum quod nimius sermo sine intellectu errorem augmentat. In hac methodo profusus vobis tradam ea quæ de hac arcana Philosophica scientia multiplicaverunt. Quam si quis legerit aliquantulum habens intellectum sui operis gaudebit. Qui verò non per hunc librum ad effectum pervenerit, alium non quærat, sed quiescat, quia celavit ab eo veritatem, quia fortè mentem indolem habet. Moneo insuper vos eum servare, & legere sæpius & ab impiis custodire. Aristoteles, in visione animi dicit: Advertite inquisitores huius scientiæ, quod invidi hoc arcanum in varia membra diviserunt, scilicet, Philosophiam, Astrologiam, & Magicam artem. Et tractaverunt de plu-